si segnes esse nolumus, uires ministrant, et opem afferunt maximam, ab his fidei, spei, charitatis, humilitatis scientiae, et omnes cognitionis arma sumere possumus, quibus impietatem, licentiam, odium, superbiam, ostentationem et iactantiam haereticorum deprimamus. Sed segnes nimium ad propositam victoriam non excitamur, qua nequities permittente Deo animos nostros ita impedit ut scelerum multorum, quos commisimus et committimus, aliquas poenas demus, abjiciatur cum misericordia Domini respiciet nos. Futurum breui ut Deus suscipiat causam suam, et Ecclesiam pugnet ab haereticorum labe, non minimum est ~~[illegible]~~ indicium quod diuina prouidentia his temporibus Pius huy Pont. Max. uir singulari sapientia et pietate Reip. christiana praeest, cuius iussu cum Tridenti frequentissimum et nobilissimum in spiritu sancto congregatum generale concilium celebretur, si deponere superbiam nostram, si sanctorum patrum doctrina sequentes et eorum mores imitantes, nos ipsos in uera pietate instituemus non repraesentandas ut impudenter fecimus eos praesertim, quibus nobis parendum est, putauerimus, quid impedit cur non purgatam multis erroribus Ecclesiam intueri non possimus sperare, praesertim cum sanctissima et maxime christiana ~~Pij~~ Pij huy voluntati faueat Imperator et uniuersi Reges et principes christiani, sed, ut paulo ante indicaui, ut Dei clementiam hac in re experiamur, timendum ne nobis ipsis simus impedimento. Ejiciendo

ienda est ex animis nostris superbia, deponendum est inanis gloriae studium, ex animo, et saepe dicendum Peccauimus domine coram te et iniquè egimus, sine intermissione orandum est ut defendat ~~dominus~~ causam suam, confundat aduersarios potentissimos, rerum humanarum administratores haereticos, et quosdam omnia sibi tribuentes homines, eaterus affligat Ecclesiam quatenus ferre possit et imbecilli animi queant sustinere. Hoc ipsum humilitate, fide et charitate obtinebitis hoc tempore dum hoc concilium celebratur unus Pio huy, Imperatore optimo, Philippo Hispaniarum Rege potentissimo, reliquis christianis Regibus, Reip. Venetae in uera pietate constantissima, et omnibus sanctis principibus christi causam tuentibus, a patre misericordiarum et Deo omnis consolationis si petierimus, ut etiam, facile consequemur.